Digitized by Google

25

POEMATVM

LIBELLVS.

Digitized by Google

VITI MARIAE IVVENATI

POEMATVM LIBELLVS

AD VIRVM AMPLISSIMVM

IOSEPHVM MARIANVM PARTHENIVM.



NEAPOLI CIↃIↃCCLXXXVI.

EX TYPOGRAPHIA SIMONIANA.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Franciscvs Xav. Gvalterivs
Lectori.

[library stamp]

En tibi, Lector benevole, de latinis Iuvenatii carminibus non multa quidem; sed *de multis*, ut ipse ad Angelium meum scribens ait, *pauca*, atque ea fere, quae occasione aliqua ad amicos, et notos conscripserat, aut, quod non multorum versuum essent, nec obscurum, spissumve eorum esset argumentum, et commode legi, nec difficulter intelligi posse existimavit. Quae autem i-

Digitized by Google

psum caussae impulerint, cur pauca, uti dixi, non omnia, aut multa, ad edendum concederet, has ille mihi, et viro ornatissimo Paullo Furnaro, quicum arctissima utrique nostrum, satisque vetus necessitudo est, paucis ante mensibus, dum Romae simul essemus, deque eadem re cum ipso ageremus, afferebat.

Ac primo ajebat, nihil nunc quidem tanti esse, sua omnia in apertum proferri sinere: si enim alias, nunc cum maxime, uno, non amplius, immutato verbo, Horatianum illud valere:

In silvas non ligna feras insanius, ac si
Magnas Graecorum malis implere catervas.

Quis autem nescit, quam abunde aetate hac no-

noſtra poetarum, et versuum sit, nec malorum modo, aut mediocrium, ſed etiam optimorum? Porro autem ſi quem copia, ſi quem varietas delectat, praeſto, ajebat, illi eſſe Ovidium, praeſto Virgilium, atque Horatium, deque genere hoc alios latinae poeſeos longe principes, ex quibus non dubium esse possit, quin eruditionis, et voluptatis fructum capere possimus haud paullo, quam ex recentium quorumcumque poetarum lectione pleniorem. Ad ornatum autem, et elegantiam dictionis quod attinet, quotus quiſque, addebat, judicio tam absurdo, tamque praepostero erit futurus, ut aut poetas veteres prae novis faſtidire velit, aut eodem u-

trosque ordine habere, parique momento ponderare? Haec tum ille; quae etsi satis quorsum disputaret, apparebat; tamen si non omnia, at aliqua certe, contra quam statuisse secum ipse, ac deliberasse videbatur, nec obscure ejus, quam modo retuli, declarabat oratio, ut edenda nobis concederet, duplicem maxime ob caussam adductus est. Primum enim noluit committere, ne nihil amicis petentibus, atque adeo quotidiano pene convicio flagitantibus videretur concedere; quod ſuperbum id denique, atque inhumanum visum ſuisset. Deinde libenter etiam facere se se profitebatur, ut, qui re alia nulla posset, dum hanc, quam poterat, amicis aliquot gra-

gratiam gratificaretur; simul amicis aliis grati, et memoris animi nonnullam apud posteros significationem relinqueret illis edendis, quae alias aut ad ipsos scripsisset, aut in quibus eorumdem meminisset. In primis autem ipsum (ut quod res est fateamur) viri excellentis, omnique laude cumulatissimi Iosephi Mazzolarii, sive (ut ipse suis in scriptis appellari voluit) Mariani Parthenii movit auctoritas; quam quidem quum plurimi semper Iuvenatius fecisset, quumque amaret praeterea impense hominem, nec ulla res esset, quam non ejus caussa maximopere vellet, facile adductus est, ut homini valde ipsi etiam hanc poematum

edi-

editionem expetenti obsequeretur. Nec vero hic Iuvenatii erga Parthenium suum constitit studium; sed ipsum praeterea carminum libellum nemini alii, praeterquam eidem Viro Cl., qui princeps ejus evulgandi auctor fuerat, dicatum voluit; quod et fecit ipse, ut vides, conscripto in eam sententiam brevi elegidio, et me, qui edendi libelli curam in me receperam, facere pariter jusserat. Sed heu fulmen! Dum id loci res esset, jamque bona carminum pars praelo fuisset subjecta, videreturque intra paucorum dierum spatium in lucem proditura, Parthenius interea, Parthenius inquam, quod ne nunc quidem ſine acerbissimo animi cruciatu, maximi-

ximique doloris sensu meminisse poſsum, non tam senio ille quidem, nec enim longiſſime aetate erat provectus, quam et valetudinis imbecillitate, qua semper in vita ſuerat usus, et majoribus in dies notorum, et ignotorum caussa, qua erat in omne mortalium genus caritate, suscipiendis laboribus fractus, et debilitatus, e medio sublatus est. Cujus quidem caſus non modo Iuvenatii ipsius, sed meum etiam animum ita consternavit, itaque abjecit, plane ut omnem absolvendi operis cogitationem, eo erepto, cujus gratia potissimum suscepta erat, deposuisse videri possemus: ita multi, non dicam dies, ſed menses cessantibus, nihilque prorsus

Digitized by Google

sus agentibus effluxerunt. Ac sane quum Iuvenatius amaret, ut dictum eſt, valde hominem, vel potius, quum absolutissimum in eo virtutum omnium, quaecumque cadere in hominem possunt, exemplar agnosceret, ac veneraretur, tum ego in maximorum beneficiorum, quibus ab ipso Iuvenatio auctus sum, loco hoc non postremum posuerim, quod illius opera mihi ad Parthenii ipsius notitiam, atque adeo intimam, quoad utriuſque vitae rationes patiebantur, familiaritatem adspirare licuit. Equidem noram multo jam ante Parthenium, seu nosse potius, verius ut loquar, mihi ipsum videbar, ex frequenti, accurataque scriptorum ejus lectione, in quibus tam-

tamquam in ſpeculo hominis optimi, et ad omnem honeſtatem, virtutemque conformati imago elucescebat; sed postquam in aliquem ejus usum, consuetudinemque sum admiſſus, tum denique quam alium mihi ipsum effinxiſſem, atque reipsa eſſet, quam disparem, quam pene nullam ejus in animo meo speciem mihi informaſſem, planiſſime intellexi. Sed quorsus imprudens agor, et quam rem incepto, cujus exitum expedire nemo quidem, aut ſolus is poſſit, qui idem homo eloquentiſſimus, idem vir optimus, et ſanctiſſimus ſit, cujusmodi Parthenium ipsum conſtat fuiſſe? Itaque invitus, fateor, hanc quum animo meo gratiſſimam, tum hoc quidem loco

quo-

quodammodo neceſſariam clari, ſpectatique viri commemorationem abrumpam; huncque campum, quo me ingenii, viriumque mearum conſcientia excludit, decurrendum Parthenii ſimilibus relinquo, Guidiis puta, aut Lanziis, Cunichiis, Morcelliis, quos honoris, et amicitiae etiam (niſi forte arrogans hoc alterum videri poſſit) cauſſa nomino; qui omnes praeterquam quod in eadem, qua Parthenius, et Iuvenatius, ſodalitate, quamdiu ea ſtetit, vixerunt, praeterea communes aedes, commune tectum multorum ſpatio annorum cum Parthenio habuerunt. Sed ſatis hactenus de editionis procraſtinatione. Modo reliqua expediamus.

Ac

Ac primo nolo a me, Lector optime, hoc loco exspectes, dum de versibus, qui hic eduntur, judicium meum interponam, eosque falsis, an veris non quaero, sed tamen exaggeratis nimis laudibus exornem. Id si facerem, more scilicet omnium facerem, qui aliena scripta vulganda susceperunt: apposite Lucilius:

.... Scruta quidem ut vendat Scrutariu' laudat,
Praefractam ſtrigilem, soleam improbu' dimidiatam.

Verum auctor ipse hanc a me cum primis, dum horum mihi edendorum versuum copiam fecit, conditionem pactus est, ne quidquam, quod cum sua laude conjunctum esset, proloquerer: veritus fortasse, ne

ne quis usitatum in ea re multorum quum omni semper, tum hac maxime aetate morem, sive artificium potius, vel, ut propriore utar verbo, mangonium agnosceret, illudque ex eodem Lucilio occineret:

Pergula Pictorum: veri nihil, omnia ficta.

Itaque verbum hac super re nullum addam. Sed ne communia quidem illa attingam, de carminum argumentis, genere, varietate, tum quantae difficultatis sit efficere, ut suus cuique generi certus sonus reddatur, exaudiaturque in singulis quaedam, ut loquitur Tullius, intelligentibus nota vox; quae quidem verſuum forma, et quaſi naturalis nota (hanc dico, quae uniuscujusque metri propria est, non

quam

quam in rebus ipsis tractandis sequi convenit) haec, inquam, nota quum multi, an ulla esset, ne suspicati quidem sint, pauci quid esset, et viderint, et in scriptis suis expresserint, utrorum in numero noster habendus sit, doctiores viderint: ipse enim non dicam, ne (quorum neutrum volo, nec velle debeo) aut Iuvenatio fidem non servasse, aut legentium judicia videar velle antevertere.

Duo supersunt, de quibus certiorem adhuc te fieri volo. Alterum est, de epigrammatis, quae hic edimus, edita aliqua pridem fuisse in Romana Anthologia anni 1780. n. xlv., et 1781. n. xlviiI., et 1784. n. xlI., ex quibus locis nos ea

hic cum fide descripsimus, quod facere auctor omiserat, contentus loca indicasse, in quibus edita legebantur. In primis autem epigramma, quod primo loco indicavimus, quodque hic est ordine xxxv., legiturque pariter in Opusculo *Petri Orlandi Romani de exsiccandarum Paludum Pontinarum utilitate etc. Romae* 1783.; itemque in opere de Alba, ejusque antiquitatibus, illud, inquam, epigramma, ita ut indicatis locis legitur, repraesentandum in editione hac curavimus; quod ideo monemus, quia brevissimum licet sit, versuumque perpaucorum, tamen nescio quomodo factum sit, ut tribus omnino locis aliter, atque excusum toties fuerat,

rat, editum viderimus pag. 16. libri, qui *Deliciae Poeticae* inscribitur, *Lugduni Batavorum apud G. F. Koenig.* anno 1783. impresso; quod qua ratione, uti diximus, factum sit, aut fieri potuerit, non vacat inquirere.

Alterum, de quo te admonendum putamus, illud eſt, quod quum Iuvenatii poematum liber exiguae sane, si solus in lucem emitteretur, oppidoque pusillae molis videretur futurus, adjungenda ipsi curavimus nonnulla Poetarum saeculi xvI. quantivis pretii carmina, quae privatos in usus descripta apud nos servabamus; quo sane nomine magnam nos putamus a Musarum cultoribus, latinitatisque minime

nime fucatae, ac qualis plane Auguſti aevo viguit, gratiam esse inituros. Quid autem caussae habuerimus, cur de Iuvenatii carminibus pauca emitteremus, satis supra expositum est; quid, cur aliorum poetarum item pauca, docebit te, si modo tanti esse rem putabis, epiſtola ad adolescentem nobilissimum, eximiaque virtutis indole praeditum **Antonium Lavianum**, cui illa carminum συναγωγὴ nuncupatur. Cetera suis quaeque locis redduntur. Vale.

VITI M. IVVENATI
POEMATVM
LIBELLVS.

I.

AD IOSEPHVM MARIANVM PARTHENIVM

(VIRVM AMPLISS.

SI cuiquam, Ioſephe, in me conlata benigne
  Obſtrinxere magis me officia, atque magis;
Non quiſquam (ſancti sic mutua foedera amoris
  Perpetuo inter nos ſartaque, tectaque ſint)
Non quiſquam eſt, tibi quem merito praeponere poſſim;
  Quamquam eſt iſtorum copia nec minima,
Nec multum de me non pro ſe quiſque mereri
  Et voluere, et ſunt vero etiam meriti.

Hoc tibi testatum Vitus vult, alterum et illud,
Se tibi quando ipsum pene animum, atque animam
Debeat, indocti dum munera parva libelli
Mittit, mittere in his ipsum animum, atque animam.

II.

MERCVRIO BAIANO SACR.

CArmen hoc tibi, Mercuri, do dicoque, vetustae
Qua Bajae steterunt, tuum quaque, Sancte, sacellum.
(Nunc, malum! fragilis loco canna, et ulva palustris
Surgit, et sterilis filix, sessilisque genista;
Vixque ſunt veteris super pauca fragmina molis,
Pauca fragmina, putribus late hiantia rimis,
Quo strix se socio frequens cum bubone receptat,
Quique nomen ab hespero, quique ab nocte tulerunt)
Tu acceptum face, redditumque, utque suetus es, aevum
Me patrocinio tuo perge in omne tueri.

AD

III.

AD ALEX. NICOLAVM ROSCIVM

DE LAVDATIONE FERDINANDI SPINELLI V. PATRITI AB EO CONSCRIPTA.

REdi, Libelle, Roscii mei ad lares,
Vnde huc pedem tulisti, heroque dic meis,
Tuiſque verbis haec: agit quam maximas,
Habetque Vitus gratias tibi, suas
Venire me, at quam non merentis! in manus
Quod jusseris, quae comitas tua, atque amor
Sui est; ob hancque rem triumphat gaudio,
Et gratulatur maximum in modum sibi.
Rogabit hic te forte, cur tanto domi
Iuſſu suo, atque opinione serius
Te demoratus sim? Videlicet tua
Oratio hoc plena elegantiae, et salis
Fecit, sua ipsi quam Cupidines manu
Finxere, finxit et Cupidinum parens;
Fecere sensa luculenta, grandia,

Quae Tullio sint digna, quae Demosthene:
Habes, moram cur fecerim; nunc i, redi,
Redi, Libelle, Roscii mei ad lares.

IIII.

AD HORATIVM ANT. CAPELLVM I. C.

EFfluxisse tuo penitus me e pectore, Horati,
Et video, et, dicamne? ex animo doleo.
Heu doleo, jam ex quo non ullam, dure, salutem
Adscripsti mî, unam atque alteram abisse hiemem.
Atqui olim non hoc miserum sperare jubebas;
Sed fore, ut optato saepius alloquio
Solarere. Heu spes, atque exspectatio inanis!
Heu deploratam, ac perditam amicitiam!

V.

AD ALEX. NICOLAVM ROSCIVM I. C.

IVcundissime Alexi, dic, vacasne?
An ne de tabula manum quidem nunc?

Nam

Nam siquos, quid agas, adhuc tuorum
Notorum rogitamus, unico omnes
Ore, te studio flagrante, et acri
Dies addere noctibus, diebus
Noctes, ponere nec modum labori;
Vt decus, veteremque dignitatem
Vrbis, urbium ocellus una in orbe
Quae fertur merito fuisse, et esse,
Ad caelum revoces novis libellis,
Doctis, Iupiter! elegantibusque.
Hem! num acu tetigere amiculi rem?
Puto; aut cur Iuvenatio videndum,
Cur tui cupidissimo videndum
Non te mense dedisti et hoc, et illo?
Sed missa haec faciamus; ipsi habento
Non ullam veteres fidem sodales,
Neu quemquam latebrae tuae movento;
Verbis ſtare lubet tuis, amabo,
Iucundissime Alexi, dic, vacasne?
An ne de tabula manum quidem nunc?

VI.

AD IOH. ANTONIVM SERGIVM

I. C.

GRatias tibi maximas merenti,
Sergi, Vitus agit, tuo venusto
Quod se carmine maxime bearis
Illo, quo Mariam canis puellam
De diro Phlegethonte plenum agentem
Vitae origine ab ultima triumphum;
Tanto mehercule maxime bearis,
Quanto vix alias putat beandum;
Non si eburneolo [illegible] Tibullus
Plectro, in has remeans plagas, bearet.

VII.

DE ELEGIS EIVSDEM IN D. VIRGINEM MATREM.

NAm, Sebethe, tuos quae caussa quiescere cursus,
Teque vadis potuit sic subito in mediis

Si-

Sistere miranti similem? an tibi carmina cordi est
  Ebibere attentis, quae meus, auriculis
Sergius in molli modulatur gramine ripae,
  Sergius Euboici fama, decusque soli?
Sic certe: retinent te Sergj carmina, magnam
  Exsortem noxae dum genitalis Heram,
Atque triumphatum Ditem, pubemque rebellem
  Cantat, virgineo pressaque colla pede.
Macte voluptate hac, Pater, atque haec gaudia gaude
  Hac, illaque die, deinde alia, atque alia.

VIII.

AD FRANCISCVM DANIELIVM I. C.

PErlege, si tanti est, Danieli docte, mearum
  Nugarum parvam particulam hanc, calamo
Quam mihi ab invito extorsit modo Graculus, illa
  Horti tempestas, anne magis furia?
Perlege; sed posito nostri tantisper amore;
  Et quamprimum ad me fac melior redeat.

VIIII.

IN CORVVM

VIRIDARI DOMESTICI VEXATOREM.

Sceleste, seu vocare te lubet Corvum,
Seu Graculum: nam sunt, utramque qui in partem
Certant: ut otiosa natio est nostra,
Curatque semper quod sua nihil refert;
Sed sive Corvum, sive Graculum par est
Vocare te, scelestus es nimis certe,
Nimisque nequam: nesciens loco stare,
Nunc is, redis mox, ire post paras rursus,
Flexusque mille, mille curris ambages,
Rostro omnia, omnia ungue laedis hamato.
Viden? beatus hortus ille, formosus
Ille hortus, ille cui prius tot, ac tanti
Horti invidebant proximi, atque longinqui;
Nunc senticosus, hirtus, horridus totus,
Despectui, ludibrioque plerisque est.
Eheu! beata saepta perditum ivisti,

Vere beata saepta perditum ivisti,
Sceleste; habere nec, puto, queant pejus;
Huc advolasset si tuum in locum harpyia,
Vel siqua tetrioris ales eſt mentis.
Et quisquam ocellis hoc ferat mihi siccis?
Hoc cernat animo aequo? Ah! miser, miser nescis
Quae te manet mox, quae tuum caput poena.
Iamjamque faxo, pendeas sude ex illa,
Spectaculum oppido intuentibus salsum.
Illuc, sceleste, ageris ob gulam obstrictus;
Et crus utrumque; illinc fame, et siti enectus
Pendebis, usque dum ultimum diem claudas.
Tum tu, novis multatus his diu exemplis,
Factum haud voles, tum poenitebit errati,
Tunc ingemisces, tunc Deorum opem exposces;
Tunc lacrimabis; ipse sed renidebo.

DE

X.
DE SE, ET DE CORVO
HORTVLVS.

AT vos, qui soliti quotidie ad me
Inde ab vere oriente, lance donec
Metiatur utrinque rursus aequa
Phoebus tempora lucis, atque somni,
Non monstrum procul alitis mihi istuc,
Pestem, ac perniciem hortuli beati,
Non hinc exsilium, malasque in oras
Tandem mittitis, aut sub ultimum Orcum?
Vnum hoc gratificamini obsecranti,
Si vobis studui placere semper.
Sin; jam nunc moneo, ite, quotquot estis
Omnes, ite alio meridiatum
Posthac, et trichilas novas, novosque
Xyſtos quaerite, et ambulacra vobis.
Hujus namque opera hortulus beatus,
Eheu! hortulus ille adhuc beatus,
Brevi sum mera vastitas futurus.

ITEM

XI.

ITEM IN CORVVM INDIGNATIO.

POrro quousque, infamia alitum, impune
  Tibi ista abibunt? amplius
Non, non inulti te feremus: exposcit
  Sui doloris jamdiu,
Suaeque vastitatis hortulus poenas.
  Et jure: nam quid non tua
Procacitas, protervitasque conata est,
  Quo parte felix hortulus
Ab omni, et omnium affluentia rerum
  Dives, propinquis hortulis
Risus foret, jocusque, nec laborarent
  Non sordidorum infamia,
Illiberaliumque apud rei ignaros
  Heri hoc eodem nomine?
Nam fac, quis in vireta sic pedem primo
  Haec inferat, de te nihil

Qui

Qui fando ad hanc audiverit diem, nonne
  Heros in ipſos protinus
Culpam, inque eorum negligentiam, et sordes,
  Is conferat? Sed fabula
Haec surdo, ut ajunt; nec minacibus verbis,
  Sceleste, nec molli prece
Moveris usquam, caute durior dura,
  Rapaciorque turbine.
Ergo jam adeste: quid moramini? huc omnes
  Adeste, tangit hortuli
Quoscunque cura, amorque: nunc manu est usus,
  Sollertiaque: accingite,
Ferte, expedite, tendite hinc, et hinc, possit
  Ne forte qua elabi, plagas.
Viros, viros agnoscat esse, quos fecit
  Vix uni adhuc teruntii.

AD

XII.

AD HORTVLVM

GRATVLATIO.

TAndem, hortulorum ocelle, gaudium magnum
Gaude: scelęstus Graculus luit poenas,
Luit scelestus ille Graculus poenas,
Quas inquinata maximis probris vita,
Et damna, quae tibi intulit, merebantur.
En, illigatus pendet ut trabe ex alta!
En, ut ferit crocitibus polum! jamjam
Orci tenebricosa regna visurus,
Et Cerbero occursurus, et truci Excetrae:
At ipse frugem se in bonam recepisset,
Nobisque tempori admonentibus morem
Gessisset. Heus tu, dum potes, cave: sentis,
Sentisne enim, quae sit querela multorum
Furoris, atque audaciae tuae? Tantum
In tam vireta bella Graculum nequam
Vnum sibi arrogare, jam negant posse

Ferre

Ferre amplius. quid quaeris? omnia ad poenam,
Et ultionem quam celerrimam ſpectant,
Ni jam caves. Quam haec ſaepe diximus? ſurdis
Sed praeterivit auribus tamen ſemper.
Nunc, ut meretur, vapulet, luat poenas.
Et inde pendens efflet halitum extremum.
At tu, hortulorum ocelle, gaudium magnum
Gaude, bonamque ſpem cape, in decus priſcum
Fore ut redire dent tibi ſtatim fata.
Non muneris parum haec dedere, defungi
Hoc te dedere quum periculo; poſthac
Quod largientur, praequam id eſt, minus multo eſt.

XIII.

AD DOMINICVM MVNDIVM PICTOREM.

VIs quantum te amem, dicam. Non, ni ipſe prius mî
Spondes ſincero mutuum amorem animo.
Cur? ne ubi quanti ego te, Mundi; ſed ne hoc placet ipſum
Dicere: eo quod amorem hinc adeo argueres.

Ergo

Ergo aut desine velle, aut ſi vis scire, prius mî
Sponde sincero mutuum amorem animo.

XIIII.

AD FRANCISCVM DANIELIVM

I. C.

GAude, flos hominum elegantiorum,
Non horum modo, sed quot aut fuerunt,
Francisce, aut aliis erunt in annis,
Gaude: Parthenopen tuus revisit
Iam tandem Iuvenatius, relinquens
Lycj moenia, Brundisj, Tarenti, et
Quantum Iapygiae est, Apuliaeque.
Atque idem, satis ut sibi, tibique,
Sed sibi ut faciat magis, diebus
Ad te cogitat his; futurus ille est
Cui Felix socius, comesque, Felix
Phoebi deliciae, et novem sororum.
O quae gaudia, quae tum erit voluptas!
Quaeris, plusve, minusve cis dies quot?

Quan-

Quantum conjicere, atque polliceri
De se nunc pote, cras, perendieve.
Verum cras magis. Ipse fac; necesse
Immo cetera nil tibi, Sodalem
Qui jam rescieris rediſse, et ad te
Fore, ut cras veniat, perendieve.

X V.

AD ALEX. NICOLAVM ROSCIVM

I. C.

AMabo, Alexi, quid labore vis tanto,
Quo te dies, noctesque conficis totas?
Ah! pone tandem, pone jam modum, quaeso:
Satis focis pro patriis laborasti.
Quid? hoc negabis? Sed nega ut lubet, contra
Tamen reclamant elegantia scripta
Tua illa, amat se plurimum quibus Siren,
Circumspicitque, gloriaque se extollit.
Haec sat grave in te testimonium dicunt.
Nam quid loquar, subinde quos facis, versus?

Poema namque idemtidem quoque attingis,
Quod tam venustum, tam absolutum, et exactum est,
Mirari ut omnes optimo queant jure,
Sed, aemulari si velint, queant frustra.
His nonne laudi patriae quoque inservis?
Ergo labori jam, precor, modum pone:
Satis focis pro patriis laboratum est.
Fortasse quorsus, inquies, mihi in mentem
Venit monere haec te? Tui flagrans ille
Amor, medullas qui mihi comest imas,
Et usque de te ut cogitem facit, cogit
Haec scribere, et monere te. Quid ah! quaeris?
Quid vis tibi, dic, amplius? diem nullum
Labi solutis anxius sinis curis;
Natus tot annos es; laboribus fractum
Corpusculum. Haec recogitans tuus secum
Amiculus, quantum ah tibi timet! laevum
Longe volentes Dj ſed omen avertant.
At vota noſtra tu tua quoque ex parte
Iuva, laboribusque jam modum pone.

Pone o: satis jam patriis datum est aris,
Satis focis pro patriis laboratum est.

XVI.

DE VILLA FRANCISCI M. PRATILLI

AD VESEVVM.

OLim Catinam quam vocarunt nomine,
Dixere post Bastariam: quod js heris
Famulata item sum; nunc Pratillam, Iupiter,
Vt omne faxint sic in aevum! nuncupant.

XVII.

DE EADEM

IOCVLARE.

QVid me praeteris, Viator? siste: longa non mora est.
Mox per me coeptum licebit ire, quam voles, iter;
Interim parumper adsta, pauca dum tecum loquor.
Aevo quae priore dicta sum Catina; post heris
Quod Bastariis addicta sum, jdem me Bastariam
Nominaverunt; salutant nunc Pratillam. Nomina
Mi-

Miraris, tot una ferre quod coacta sim? Dea
Sed coegit ipſa, in orbe jure cuncta quae suo
Versat, et nihil perenne, ac proprium cuiquam facit.
Ergo nunc novus Pratillam Pratillus me herus vocat;
Post heros novos deinde nacta, nanciscar quoque
Nomine ex cujusque nomen. hoc volebam te. Vale.

XVIII.

MERCVRIO BAIANO SACR.

HOc votum merito lubens, Mercuri, tibi ſolvo:
Quod me cum zephyris, nova cumque hirundine rursus
Salvum, et incolumem ad sinus das venire tepentes
Bajarum; prece plurima quod te, Sancte, rogabam.
O factum bene! jam procul a tumultibus Vrbis,
Iam licet placidissima conquiescere in ora;
Iam lustrare avido licet ex libidine ocello,
Vt vestigia cumque sunt aevi forte prioris;
Et miracula maximarum obstupescere rerum,
Quanta non reliquo queat quisquam in orbe tueri.
Haec vere liquidissima est omnium una voluptas,

Acceptam tibi quam fero, pennipes Pater, uni:
Pro quibus meritis modo munus hocce novorum
Carminum cape. Sunt, vides, nam mehercle fatebor;
Non polita nimis, tuo nec sat digna sacello;
Verum qualia sunt, boni, cumque consule, nexu
Meque, quo tibi vinxeras, arbitrare solutum.

XVIIII.

RVSTICATIO PVTEOLANA.

EN procul strepitu tumultuosae
Vrbis, en iterum abdimur pusilla
In rura. O age, rura amica, notum
Laetis excipite hospitem cachinnis.
Nec die hac modo, sed quot hic manebit,
Illi perstrepite omnibus cachinnis.
O quid laetius est, gravi levato
Curarum bene fasce, quum sequentes
Ruris otia, solitudinemque,
Vrbanos fugimus procul tumultus?
Haec, haec, haud alia expetenda vita est,

Haec

Haec est vita putanda. Dj beati,
Hic, quaeso, mihi vivere, et valere,
Hic vestro liceat mori favore;
Qui si istuc dederîtis, omnium omnes
Iam non delicias, opesque Regum,
Non Reges facio pili quoque ipsos.

XX.

AD ADEODATVM MARONEM

SODAL. DOMINICAN. DOCTOREM THEOLOGVM.

QVid hoc esse rei, Maro, putandum est?
Ad te visere proximis diebus
Bis, ter venimus, omne quaeritando
Forum, quadrivium omne, compitum omne
Perluſtravimus; ipse contra abesse
Bisque, terque domo, atque quantacunque est
Non nobis dare in urbe te videndum.
Non Gualterius, et Capellus, ipse
Non Pansinius uspiam videndum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Se nobis dare, Fortiusque. muta
Vbique omnia, ubique solitudo.
Quid hoc esse, Maro, rei putandum est?

XXI.

AD CHRISTVM O. M. SERVATOREM

EX PERSONA ALOISI GONZAGAE, ADOLESCENTIS CASTISS., ET INNOCENTISS.

AH quid, Christe, in me tantum jacularis amorem?
Desine: jam toto pectore vulnera hiant.
Immo vulnus ego: sic ne exiguissima pars est
Nostri, quae pridem non penitus periit.
Iamque adeo extinctum tumulassent, ipsa eadem ni,
Abs te quam patior, mors mihi vita foret.

AD

XXII.

AD FRANCISCVM DANIELIVM

I. C.

MEI, atque amor quotcumque Musarum colunt
Francisce, sacra, ab ultimis
Tandem Sabinis Vitus en tuus redux
Claram tenet Neapolim.
Atque is latina et hernica arva, frigerat
Tum quae ferens se flumine
Liris quieto, quaeque radit agmine
Majore Vulturnus rapax,
Remensus est, huc quam remigraret prius.
Viden? viarum milia
Quam multa opus vorare amiculo fuit,
Absentia ex longa queat
Vt te revisere, expetivit unice
Votis diu quod omnibus.
Sed pars quota haec incommodorum, et quantula est,
Prae quod, medullas ossium,

Venasque viscerum hauriens, vis funditus
  Perdit misellum febrium?
Simul relictis Tusculi nam credidit
  Rursum viae se moenibus,
Inaestuare haec impotenter intimis
  Coepit lues praecordiis.
Neque huc remittit usque vim, sed singulos
  Augescit in dies magis.
Abi, sata Orco, unde huc profecta es, in styga;
  In Manium nigras domos;
Abi, cruenta, erumpe: poenarum satis,
  Superque solvimus tibi.
Quamquam, fidem caelestium! in vita scelus
  Quod tam patravimus grave,
Quare neci sic des, olympias quibus
  Peracta necdum septima est?
Sic eſt: perit, Franciſce, non suo tibi
  Sodalis unicus die,
Perit misellus; jamque portitor vocat
  Ad stagna Cocyti Charon.

At

At tu jacentem, quam potes, visum gradu
  Celerrimo veni, expetit
Qui te intueri, te osculari, ponere
  Complexu in unius tuo,
Si qua est super jam vita: amabo, nam potes,
  Opem fer, accurre, advola.
Sic ipse laetioribus fatis diu
  Fruare, teque amet Salus.

XXIII.

AD DOMINICVM DIODATVM

I. C.

VElim, si pateris, vacasque, verbis
Te paucis, Diodate: ademptum Alexin
Heu! quem plus oculis meis amavi
Inde jam a puero, suis vicissim
Qui me plus oculis amabat; ergo
In hunc, ut potui, poema feci,
Non sane lepido, nec elegante
Versu, ut quoquo hominem modo decere

Possit,

Possit, quum in studiis et his, et illis
Versatum egregie artium optimarum,
Tum omnium facile optimum poetam.
At vero ut potui, et dolor sinebat.
Mitto; perlege, perlegantque tecum
Meus Sergius, atque Martorellus,
Candidissimi amiculorum utrique,
Nec docti minus, aut minus diserti.
Meo nomine quos volo preceris,
Aut huic admoveant manus; tenesne?
Hoc dico: poliant, probent ad unguem;
Aut contra det uterque puriora
Sua ex parte, magisque litterata.

XXIIII.

MANIBVS ALEX. NICOLAI ROSCI

HOMINIS OPTIMI, POETAE, ET IVRIS CONSVLTI ELEGANTISS.

FAtorum invidia postquam loca, Alexi, Silentum,
Erepte heu! nostris casu inopino oculis,

Ve-

Venisti, tecum divae venere Camoenae,
  Fixerat et sedem quae in labiis adeo
Suada tuis; tum autem turba omni', cohorsque leporum.
  Non tam ipse in tacitas ut videare domos
Isse modo, quam nos videamur, Alexi, relicti
  Muti, atque exanimes morte fuiſſe tua.

XXV.

AD SAMVELEM SOLLIVM.

V. C.

Solli, jamne igitur tuos Britannos
Linquens, Parthenopes rediſti in Vrbem?
Rediſti? O bene, naviterque factum!
Ipse ad te, ut potero, statim advolabo,
Addet se comitem bonus Capellus,
Et Gualterius ipse, ſuſtinebunt
Nec Pansinius, & Maro ſe abeſſe.
At quales animae, Dj, et isti, et illi!
Quales! quamque tui, meique amantes!
Ergo continuo domi sodales

Hi te conveniemus, inque, Solli,
Complexum impliciti tuum, ora, ocellos
Suaviabimur, usque dum satis sit,
Si unquam tale satis queat quid esse.
Haec nos; sunt reliquae tuae futurae
Post partes: ut enim solet, docebis
Primum mille viae pericla, quaeque
Terra, quaeque mari subinde obisti;
Tum si contigerit novi, atque miri
In quiddam încidere: ut necesse vos est,
Orbem qui peragratis universum,
In nova incidere, atque mira multa.
Sic una solidum diem teremus -
O diem toties mihi cupitum,
Solli, meque ter, et quater beatum!

XXVI.

AD ALBERTVM CAPIBLANCVM

SODAL. DOMINICAN. PONTIF. RHEGINVM.

QVanto sim Capiblanci in aere, nemo,
Nemo mî satis eloquetur, uni
Cui (nam vera quidem decet fateri)
Et vitam, atque animam, atque memet omnem
Ipsum debeo. I, papyre, in aurem
Haec ei continuo; adde, navus esse
Pergat, meque tenebricosa avari
Ex Orci revocare fauce in auras.
Eheu! nam patulo immerentem hiatu
Iamjam absorbet avarus Orcus; ulla
Nec spes, crede, super, nisi ipso in uno est.
Nec tu plura, papyre: cetera ipse
Per sese satis, est enim sagaci
Corde, atque ingenio unico, tenebit.

AD

XXVII.

AD ANTONIVM LAVIANIVM

MARCHIONEM, PRAECLARAE INDOLIS ADOLESCENTEM.

NOn mea, non tanti, Antoni cariſsime, opella eſt,
Vt te conantem culmina Pegaſidum
Exſuperare ſua pro parte juvare potis ſit.
Men' tibi, men' quaeſo, culmina ad illa viam
Sternere? quî potis eſt? nam quae mea maxima multo eſt
Stultitia, ut de me mî omnia pollicear,
Et nil ingenio fiſus, nil fiſus et arte
Deſperem, illa adeo quum ſemel, atque iterum
Exſuperare olim tentaſsem, Iupiter, inde
Quanto ſum ejectus cum opprobrio, atque malo!
Ignoſces igitur, ſi qua veſtigia ferre
Mî vetitum eſt, illac ducere te renuam.

AD

XXVIII.

AD ALOISIVM VRSIVM SALENTINVM.

VRsi, tamne animo tuo repente
Passus excidere es tuum sodalem,
Certum, atque unanimem, et tui tam amantem,
Quam qui in te pote maximo esse amore?
Male est nomine mî hoc, male, atque acerbe.
Men' tu? nec puditum tui? sed ad rem.
Annus est, et eo amplius, venustae
Tuae quum penitus silent tabellae;
Quod etsi graviter fero, ac moleſte,
Tamen do veniam libens, tuarum
Quod hoc forte sit occupationum
Imputandum oneri malo, improboque
Magis, quam ulli odio, ſuperbiaeve.
Nunc illud potius juvat putare,
Vt comem, et facilem decet sodalem.
Sed heus tu, moneo, cave ista rursus

Mî

Mî pecces: neque enim ulla tum juvabit
Excusatio, obsecratioque,
Quin, poenas meritas petens, trecentis
Actutum te onerem, obruamque iambis.
Anne enim omnibus occupatus horis
Ne mî unam poteris quidem salutem?
Verum enim, ut monui, cave, aut trecentis
Exspecta, te onerem, obruamque iambis.

XXVIII I.

AD FRANCISCVM XAV. GVALTERIVM

DE PAVLLO FVRNARO RHEGINO.

GValteri, meus, ac tuus sodalis
Ille Furnarus, ille, amore qui nos
Aeque amplectitur, atque semetipsum:
Nam quid dicere nunc necesse, in omni
Quam sit judicio elegans, et idem
Lingua doctus utraque, sive vincta
Velis scribere, seu modis soluta?
Ergo is sollicitas heri exaravit

Ad

Ad me litterulas, rogans, venirem
Ad te continuo domum, ſuperque
Tecum re loquerer, ſua intereſſe
Quam ſcribit vehementer, eſſe cordi
Tam certe ſibi, quam quid eſſe poſſit.
Quorſum haec pertineant, rogas? moleſtum
Ne ſit me tibi convenire. nonne?
Atqui vix aliter ſatis ſodali
Nunc quidem faciam, domi trecenta
Dum negotia me morantur. Ergo
Ades, (quod reliquum), ipſe et ejus hercle
Cauſſa, et vero utriuſque: oportet ipſi
Aequum reddat uterque namque amorem,
Qui aeque nos amat, atque ſemetipſum.

XXX.

IN PAVLLVM I**
B***.

DIcebam diſcedenti tibi, Paulle, daturum
Meme oculos, a me ſi peteres oculos.

Tu tu quum mî oculos, tum si quid carius ipsis
  Est oculis, contra es, perfide, pollicitus.
Quo sum equidem tum in te majore incensus amore.
  Verum vix una, atque altera lux abiit,
Quum venti promissa tulere tua inrita, meque
  Spe cecidisse omni sentii, et indolui.
Nec satis hoc: furta adjunxti, et mendacia, tantis
  Non dubitasti et te dedecorare probris.
Idne feres impune? dabis, dabis, improbe, poenas
  Ilicet, et venies quantus in ora virum!

XXXI.

DE CORRECTIONE FRAGMENTI LIVIANI

OBSCVRI SCRIPTORIS, QVI PRO *ENIXO STVDIO* LEGI DEBERE CONTENDEBAT *ENIXO SVBSIDIO*.

ENIXO STVDIO esse quod legendum
In Titi monui schedis vetustis
Olim, nam decima acta bruma ferme est,
Id nunc Grammatico minus probatur

Isti

Isti nescio cui; jubetque contra
Legi SVBSIDIO. I procul, facesse
Hinc tu cum horribili hercle lectione,
Nugator. Quid enim? id, rogo, latine est
Loqui? aut quae patavinitas nova ista est?

XXXI I.

DE EADEM IN CORRECTOREM.

SVBSIDIO scripsisse Titum, vis, Zoile, credam.
Quid faciam? credam? cras, puto, non hodie.
Caussam quaeris? habe; ac satius non reddere. sed si
Hanc tu quaeris, habe: reddam ego simpliciter,
Quod tibi cum studiis nihil his est, et cadit in te
Illud, cum argutis nil Asino fidibus.

XXXIII I.

AD DOMINICVM MVNDIVM PICTOREM
DE NICOLAO EVG. ANGELIO.

ITe, oro, Hendecasyllabi, ite, multam
A me dicite Mundio salutem.

 Quis

Quis sit, quaeritis? Ille, penicillo est
Qui tantam, calamoque laudem adeptus,
(Idem Pictor enim est, Poeta et idem)
Quantam dicere vix meus Capellus,
Opinor, Danieliusve possit;
At quam doctus, et eloquens uterque!
Nedum possim ego tam, Pol, indisertus.
Ergo adibitis hunc, rogabitisque,
Dicat Angelio meo, pari par
Me quidem voluisse; sed volenti,
Conantique simul novem puellas,
Quae Pindi placidos tenent recessus,
Ferre opem renuisse adhuc. Quid autem
Illarum facerem carens favore?
Quare nunc satius supersedere
Quali hac cumque opera quidem videri,
Quam perire pati bonas inani
Horas, ut periere adhuc, labore.

Haec vos, Hendecasyllabi, additote
Nec verbum amplius. ipse jure namque

Pi-

Pictoris simul usus, et Poetae,
Pro re, ac tempore plura reddet, idem
Qui Pictor simul, et simul Poeta est.

XXXIIII.

INSCRIBENDVM AD MONVMENTVM

LVDOVICI AREOSTI.

IIII. Kal. Quinctiles CIↃIↃCCLXVIIII.

AD celeritatem mutatis vehens equis
IOSEPHVS Imperator, interjungere,
Simul Ferrariam attigit, suos jubet
Parumper, ipse dum sacris obtutibus
Subjiciat Areosti conditorium;
Quibus postquam pro tempore est satis sibi
Fecisse visus, extemplo refert pedem,
Et institutam persequitur porro viam.

SI quid apud Manes sentis, Lodoice, superbi,
Et dic: laus cineri est addita quanta meo!

XXXV.

IN ALBANO ALTIERIORVM

ANN. CIƆIƆCCLXXX. XII. KAL. MAIAS.

POmptina e regione SEXTVS Vrbem
Dum redit PIVS (hac enim aemulatus
Augustum quoque parte, ferre aratrum,
Quae remos tulerant prius paludes,
Cogit maximus, optimusque Princeps)
Dignatus mihi Villulae pusillae est
Honori dare, tantus ipse quum sit,
Vt diverteret huc meridiatum
Parca ad lautia, rusticumque tectum.
Pro quo Villula honore ego pusilla
Posthac pluris ero mihi, atque Villas
Omnes vel minimo una provocabo.

XXXVI.

AD CAIETANVM RAPINVM

ARCHITECTVM, ET AQVILEGEM CLARISS.

FEbre aeſtuante leſtulo affixus dies
Tot jam, Rapine, quale, quaeſo, ludere
Carmen Poeta non bonus potui? Tamen
Cujuſmodi eſt id cumque, perſcripſit ſcheda
Tibi haec. In Vrbem perferendum tu cito
Curabis, ut ſi fors probaverint, queat
Mox artifex in praeparata inſculpere
Baſi. Sequetur alterum carmen brevi,
Si Dj favent, morbuſque ſiverit. Vale,
Vale, tuamque, quod facis, laudem, & PII
In longa perge prorogare ſaecula.

XXXVII.

INSCVLPTVM IN PONTE APPIAE

AD XLVII. AB VRBE MILIARE.

QVa leni reſonans prius ſuſurro
Molli flumine ſeſe agebat Ouſens,

Nunc rapax Amaſenus it, lubensque
Vias dedidiciſſe, ait, priores,
Vt SEXTO gereret PIO jubenti
Morem, neu ſibi, ut ante, jure poſſet
Viator maledicere, aut Colonus.

XXXVIII.

IN AGRO POMPTINO AD MEDIAS PRAE FORIBVS OFFICINAE PISTORIAE.

An. CIƆIƆCCLXXXI.

Vilis, Viator, usibusque vilibus
Addicta sim licet, tamen contemnere
Cavebis, et putare me nihili casam.
Quid ita, rogabis? accipe: eloquar brevi.
Princeps, Paterque maximus patriae PIVS,
Is, rem latinam quo regente saecula
Redisse in aurum quisque pristinum videt,
Videt, reique gratulatur publicae,
Suaeque privatim; ergo, ne sis nescius,
Is ter, quaterque superiore proxime

Anno

Anno subire limina haec, haec limina
Intra morari non gravatus tempore est
Aliquantulo, et prospicere summo e culmine
Pomptina qua se cumque porrigit palus.
Quid plura? vidit, et probavit singula.
I nunc, Viator, quo vocat te res tua,
Et sperne talem, si potes, posthac Casam.

XXXVIIII I.

TARRACINAE EXTRA PORTAM

NEAPOLIT. AD APPIAM VETEREM.

QVisquis es, i facili greſſu per confraga montis,
Et refer acceptum munus id omne PIO.

X L.

IN OPPIDO VMBRIAE

IN DOMO PRIVATA.

VIndobona reducem e congreſſu Caesaris aedes
Hae SEXTVM excepere PIVM. risere Penates,
Risit

Google

Risit laeta novo domus hospite, maxima Patrem
Quem genibus minor, et Pastorem Roma salutat.

XLI.

ROMAE IN PANTHEO
SVB EFFIGIE MARCI BENEFIALI
PICTORIS.

ADspicite, Cives, ora Marci, claritas
Cui parta penicillo maxima est suae
Aetatis uni: gloriari enim seni
Liceat, licet quum impune. Iam partes satis
Tueri studui, artificis quae fuerant; tamen
Primam poposci laudem in ethesin mihi,
Quam sum iudicio consequutus omnium.

XLII.

SVBSCRIBENDVM IMAGINI
IOSEPHI MARIANI PARTHENI
VIRI AMPLISS.

QVem Cremona parens creavit, hic est
Doctus Parthenius, piusque, alumno

Quo

Quo tantum illa superbit uno, ut aeque
De nota meliore nec trecentis;
Pace, Vida, tua, et tua, Faerne.

XLII I.

SVBSCRIPTVM IMAGINI

BENEDICTI IOS. LABREI MORINI
EX VICO AMETTE.

MOrtuus vixisti Mundo, et Mundus mortuus tibi,
Esuritor, et ſititor ſemper unius Dei,
Qui voluptatis torrente nunc te potat jugiter,
Et dat agni nuptiales ad dapes diſcumbere,
Horridas paedore veſtes mutans auro, et ſericis.

XLIII I.

AD NICOLAVM EVGEN. ANGELIVM

I. C.

DE multis tibi pauca, quae legenda
Mitto carmina, Nicolae, amico
Cum primis homini, latine eidem

Scienti

Scienti optime, & optimo Poetae,
Haec legas, volo, diligenter, ac ſi
Quae probaveris, illa ſeorſum habebis,
Quae minus, polias fac ipſe, habere
Vel jube Veneris ſibi maritum.

Hanc tu Parthenii mei, meaque
Caussa suscipies, puto, libenter
Curam. ac Parthenii mei quoque, inquam:
Nam ſeni hüic meditor meum libellum,
Teſtem grati animi mei libellum
Dono mittere. Is ergo ut eſt peracri
Aeque judicio, ac pereleganti,
Nec Poeta minus bonus, videndum,
Vt ſi non penitus ſibi placere
Meo in munere, diſplicere certe
Poſſit quam minimum. Ergo age ipſe, longe
A Muſis quoniam meus Capellus,
Nunc abeſt, Danieliuſque, morbo
Hic quidem implicitus gravi, ille rerum
Cura, muneribuſque plurimarum,

Ipſe,

Ipſe, inquam, poſito tuo parumper
Plauto, hanc ſuſcipe cogitationem,
Quae quidem minimi tibi laboris
Eſt futura, ſed obligabis omne
Hoc eodem tibi me labore in aevum.

XLV.

REDITVS NEAPOLIM,

ET DE PAVSILYPO M.

O Pulcherrime montium,
Colliumque, ab origine
Quotquot ultima in his, et his
Verticem regionibus
Extulere decorum,
Salve: en, quod cupii anxius,
Totus in te inhians, tuum
Involo in gremium, plaga
Picentum nimis, ah nimis
Peſtilente relicta.

Iu-

Iupiter! male ſit malis
Sedibus, phlegethontidas
Vnde Perſephone fera
Conata eſt miſerum ſemel,
Biſque ducere ad undas.
Atqui adhuc geminis virens
In genis juvenilitas
Excubabat, eratque dum
Nulla edacior intimo
Cura ſubdita cordi.
Haec tamen fuerint. procul
Nunc eat querimonia
Omnis hinc. Puer, i mihi
Fronde tempora myrtea
Cinge, ne remorare.
Aureamque cedo lyram,
Sed quid eſt? gracilem, viden',
Telam araneoli undique
Texuere, piger ſitus
Occupavit et omnem.

Au-

Audio. pepulit prius
  Hanc tener Ticidas, tener
  Tu quoque hanc, Licini, neque
  Tempore increpuit pater
    Non Catullus eodem.
Inde sic jacuit diu
  Sede seposita latens,
  Vsque dum, canat ut nemus
  Musa Fasciteli annium,
    Rursus ausa ferire est.
Flamini, liceat tua
  Pace dicere: habes salis
  Tu quidem satis; illius
  Ipsa sed Venus in labris
    Sessitabat, Amorque.
Ex eo abdita deside
  Illa rursus in otio est;
  Donec alite cum bona
  Nos die nivea diu
    Excitamus inertem.

Ergo, agreſtia Numina,
Si qua vos latebras modo
Abdidiſtis in avias,
Noſtra quod patiens nequit
Eſſe pupula veſtri,
Vos Iovis veneror genus,
Eſte vos mihi dextera,
Dumque tangere ſic diu
Deſidem paro, dulcibus
Solvite ora cachinnis.
Quam reviſere te juvat,
Mons beate, iterum! tui
Mons o nominis! o potens
Gaudii placidi, quieſque
Vne blanda laborum!
Hoc videlicet unicum eſt
Pro laboribus, aureae
Alcmenae quibus, et Iovis
Maximi ſoboles neget
Eſſe par potuiſſe.

Hoc

Hoc eis pretium stetit
  Vnicum. At steterit; tamen
  Si revisere te hoc licet,
  Vt licet, pretio, Deos
    Nil lacessimus ultra.
Hoc bene est, fateor, meo
  Et beate animo nimis;
  Iamque tanti adeo, licet
  Si revisere te, ut licet.
    Solvite ora cachinnis.
Hoc vel Oceani ultimos
  Navigem pretio sinus,
  Vt vorantia navitas
  Monstra nant, senet ut dies.
    Solvite ora cachinnis.
Nunc sat haec. viden', os nitens
  Vesper extulit, in suum
  Quisque jam redeat larem,
  Admonens. age, dulcibus
    Solvite ora cachinnis.

XLVI.

AD FRANCISCVM ANT. ZACHARIAM V. C.

QVod tibi tam longo nil scripsimus intervallo,
  Non ea caussa quidem est, optime Zacharia,
Quod me ingrata tui cepere oblivia, nec jam
  Quod tua mî virtus, et benefacta animo
Exciderunt; ipsa officium remorata sed una est,
  Vna eheu! morbi vivida vis veteris,
Quae mihi subrepens, caries ut, in ossa, medullasque,
  Omnes est vires depopulata meas:
Vix animam, vix, crede, animam ſinat ut trahere ipsam,
  Nedum pauxillo temporis articulo
Fas mihi sit doctas revocare in laeta Sorores
  Carmina, et a tantis mentem inhibere malis.
Nam qua tempestate flagrantis crimine caeli
  In Picentino tabida febris agro
Tantum quod vitae non stamina discidit, omnes
  Certe molita est tum misero insidias,

Sistens

Sistens omnivoli penitus me limine in Orci:
  Iupiter, ut morborum omne genus pereat!
Et pereas tellus, pereatis littora, nata
  Hospitum, et indigenarum omnium in exitium!
Ex illo rerum nostrarum huc summa redacta est,
  Qualiter ut cautes stat medio in pelago,
Olim quum boreae, atque noti simul occursantes,
  Inter se adversa proelia fronte gerunt,
Attolluntque alte fluctus ab sedibus imis;
  Cui seu ventorum saeva latus rabies
Verberet, irrequieta magis seu verberet unda,
  Sese ex parte nihil sublevat ipsa sua;
Sic mea jam obducto tabescant membra veterno,
  Omnibus ereptis sensibus et stupeant.
Quin etiam, quod pene necesse est, languida innersque
  Defecto jacet in corpore mens animi.
Tantalis immodico quondam ut perculsa dolore
  Admissa est durum protinus in silicem,
Quam memorant (nimirum ut femina quaeque superbit
  De nihilo, atque eadem multiloqua est nimium)

Quam memorant auſam petulanti inceſſere dicto
  Latonam, et prae ſe pendere heram nihili;
Impia heram prae ſeſe auſa eſt, quam Iupiter unam
  Plus anima, atque oculis fertur amare ſuis!
At meritam eſt ſua poena ſequuta: bis impia ſenam
  Raptam immaturo funere nam ſobolem
Intuita eſt, Dea quam, in ſaevas quae cominus ire eſt
  Sueta feras, ſocium Cynthius unigena
Addiderat cui ſe, certa jaculata ſagitta eſt;
  Saxea tum ipſa ipſo conſtitit in Sipylo.
Eheu! noſtrorum ſtatus hic, haec ſumma malorum eſt,
  Haec ſunt in noſtrum fulmina miſſa caput.
Et quiſquam me jam ſuaves exprомere cantus
  Cogat, ad Aonidum delicias revocans?
Quam vellem, Divae! certe ſic quum potis eſſem
  A quantis, et quot mentem inhibere malis!
Tum magis ad caelum, repetens Helicona, vocarem
  Qualicumque meum carmine Zachariam;
Zachariam, Divae, quem tanto amplector amore,
  Quantum non ramos umquam hedera iliceos
Com-

Complexa est: ut qui caelo deducere cumque
  Purpureum Idaliae mî Veneris jubarem,
Seu quum sese effert eoo e littore, seu quum
  Nomine mutato fulget ab hesperio,
Possit, amore idem hoc possit me solvere; quod si,
  Si quis post vitae funera sensus inest
Manibus, et vero quiddam superesse necesse est,
  Quod mutum nequaquam avolet in cinerem;
Tum quoque mî haec penitas exuret flamma medullas;
  Sive erit illa, reor, vivida flamma magis,
Vivida, terreni quam non contagia sensus
  Tardabunt, moles non hebetabit iners
Membrorum, coeno ereptam, vinclisque solutam;
  Sed tantum conari heu! fera sors prohibet.

XLVII.

AD STEPH. ANTONIVM MORCELLIVM

VIRVM DOCTISS.

EXactum ad Flacci, Morcelli, carmen amussim,
Misisti quod amico homini, doctoque Marino,
Legi saepe; tamen (fateor) se explere legendo
Vix animus mihi, vix oculi potuere: videbar
Vsque adeo in Flacco, atque in te cernere Flaccum.
Par rerum, par verborum delectus, et ordo,
Copia par, lepor idem; non lac denique lacti,
Verbo ut complectar, magis, ac tu concolor illi.
Gratulor ex animo. At, quaeso, cave, tam teres olim
Dente stilus ne interfiat robiginis. Immo
Fac magis, et magis exercendo splendeat: hoc est
Is maneat, modo qui est. quid enim ipsi ad cultũ,et acumẽ
Addere praeterea possis, quid demere? Nempe
Quaerenti tibi Raffaeus nil, Cunichiusque,
Partheniusque senex meliorne, an doctior, anceps,
Lanzius & dicat, nil dicat et ipse Marinus

Cum

Cum Guidio, quo non carus magis alter utrique,
Nec per docta virûm volitet qui dignior ora,
Si ſeſe queat admorſo sibi reddere fraeno.
Mitto alios, aliosque, aut quos non dicere versu est,
Aut longus numerare labor sit. Talibus ergo
Iudicibusve, aut adsensoribus usus age isti
Fac nitor usque stilo suus, et sua gratia constet,
Nihilo deterius placituro, atque ipſa Poetae
Musa tui Augusto rerum potiente placebat
Scilicet, et placuit porro, placituraque in aevum est.
Nam sapiens, si te contra niger unus, et alter
Latrarit fors, (atque adsuetos parcere nulli
Parsurosne tibi, confidas?) surdior hos tu
Contemnes scopulo, et tecum illud sic tacitus: *men'*,
Men' moveat cimex Pantilius, aut crucier, quod
Vellicet abſentem, meminiſti cetera, dices.

CONVERSA DE GRAECIS SCRIPTORIBVS.

I.

HERMIONES DE CONGRESSIBVS FEMINARVM EX EVRIPIDE.

QVae ventitare sueverunt ad nos domum
Malae, odiosaeque feminae, me talibus
Sermonibus pessumdederunt: tun' sinas
Iisdem morari in aedibus famulam omnium,
Quaecumque sunt, muliercularum pessimam,
Vnius, ejusdemque consortem tori?
Non, non illa in penatibus meis, Heram
Communem adjuro, thalamo frueretur meo,
Eademque Solis hoc frueretur lumine.
Quam versutiloquae, veteratrices naeniam
Sirenes hae mihi dum in aurem cantitant,
Improvidam emovere mentem de statu.

Nam

Nam quid, vereri quod meo possem, fuit
A Conjuge, a quo opus quae erant, aderant domi,
Argenti, et auri abunde, tum in domesticos
Ius, et dominatus? Adde, quod patria in bona
Mei propago pervenisset sanguinis,
Et illa servos suscepisset, et nothos.
Sed numquam, numquam: non enim dicam semel,
Quibus domi uxor est, si sapiant, feminas
Ad ipsam collocutum intromitti sinant,
Fraudum, et malitiarum magistras omnium.
Haec nam toro insidiatur, mercedem aucupans;
Illa, quod peccavit ipsa, operam dat, ceteras
Infamia ut sequatur eadem; denique
Multas, quae ingenii muliebris perversitas,
Vesaniaque est, ea ad malesuadendum incitat.
Inde in maritas manat contages domos.

Has vos cavete, moneo, nequa obrepere
Vestris queant uxoribus; clathris fores
Munite: quippe feminae boni domum
Nil afferunt, sed plurimum semper mali.

AN-

II.

ANDROMACHAE

DE MVLIERIBVS NVPTIS.

MIrum! remedia comparasse morsibus
Olim venenatorum animantium Deos,
Nec invidisse ea generi mortalium;
At, quae malum domesticum est, nocentius
Et vipera omni, et igne, mulier, hanc adhuc
Nemo Deorum auxilia adversus repperit
Vlla: ejuscemodi nos viris sumus malum.

III.

FAMVLI SENIS

AD AGAMEMNONEM.

NOn, Agamemnon, lege hac Atreo es
Satus, ut te bona cuncta sequantur
Vescentem vitalibus auris.
Est in vita ut doleas, rursus
Et laeteris ut idem, ac vicibus
Gaudia, maerorque recursent.

EIVSDEM

IV.

EIVSDEM

IN OENOMAO.

VTrumne e re Mortalium, augeri magis
Sit liberis, an munere improles frui
Hoc, quod Dj vitae largiuntur, haud queam
Dijudicare, nec alicunde discere est.
Nam et liberi quibus non sunt, video iis male
Esse, et nihilo, quibus sunt, esse aegre minus.
Si enim mali obtigerunt, sunt parentibus
Acerbitati, et senio; sin boni, suos
Aeque parentes afficiunt magno malo:
Nam quanto complectuntur ipsos arctius
Amore, tanto excruciant ipsorum magis
Se gratia metuentes iiſdem jugiter,
Ne quid doleant, ne in quam calamitatem incidant.

EIVSDEM

Digitized by Google

V.

EIVSDEM

IBIDEM.

HAec maximis e laudibus laus est viri,
Si quae incidunt adversa, ut patienter ferat.

VI.

HAEMONIS AD CREONTEM

EX ANTIGONA SOPHOCLIS.

MIhi, Pater, nihil est in optatis magis,
Quam ut ipse rem feliciter geras: patris
Florentis etenim dulcius quid gloria
Aut esse natis, aut ab his illi potest?
Verum teneri ne hoc velis morbo, ut putes
Haud ulla recte dicta, praeterquam tua.
Nam si quis est, videtur ipse qui sibi
Prudentia, aut oratione ceteris
Anteire, persona hos remota futiles
Deprensum eas, cassosque fruge omni bona.
Quare indecorum non viro est, quamquam sapit,
Scitari,

Scitari, et edoceri multa adhuc, secus
Nec sentiat si quis, refragari nimis.
Videsne enim, obsecundet arbor agmini
Si lenta aquarum in se incurrentium, sibi
Vt sit saluti? Sed renitens interit
Radicitus revulsa. Quod si valdius
Vento reluctans navita, adducat pedem,
Non ille mox transtris vehit, fracta rate?
Ergo iram omitte, neve mente in hac mane.
Nam junior quum sim, tamen si quod bene
Dictum licebit dicere, is multum mihi
Inter viros excelleat, rerum omnium
Scientia usquequaque qui sit praeditus;
Tum proxime (neque enim frequens usu id venit)
Honestum ab alio doctiore discere est.

VII.

TIMOCLIS

DE VTILITATE TRAGOEDIARVM.

Est animans aerumnosus sponte homo sua,
Acerbitatesque ex se vita plurimas

Fert,

Fert ipsa. ideo haec reperta sunt levamina.
Levatur aegra sic enim mens: nam mala
Aliena recolens, obliviscitur sua.
Ex quo ad ferendas aerumnas quum doctior
Discedit, haurit tum voluptatis satis.

Atque in Tragoedis, si placet, primum vide,
Quot cuique sint miseriarum lenimina
Parata, promptaque: nam sicui arcta res domi est,
Is, quam ipse est, quum fuisse Thelephum videt
Egentiorem, haud paullo lenius rei
Domesticae fert difficultatem suae.
Praesto est Alcmaeon, si quem furiae percient.
Oculis aegre est? caecos Phinidas cogita;
Natus obit? Niobes luctum minuat orbitas.
Crus, pesve cui male habet, solatio huic satus
Paeante fuerit; tum si quis vivit senex
Infortunatus, intueatur Oenea.

Ita graviore, quam quo exerceris, malo
Conflictari alios quum vides, multum tuam
Id ad levandam calamitatem proficit.

EX

VIII.

EX MENANDRO.

SI quis Deorum, ad me accedens, agat, Crato,
Sic mecum: obeunda tibi quidem mors eſt, tamen
Idem mox fies ex Orco in lucem redux,
Et quod voles futurus es: homo, equus, canis,
Caper, ovis, aut quid tale. Nunc cujusmodi
Velis renaſci, vide. Modo ne hominem, Deo
Videor statim dicturus, fac me quodlibet.
Quippe unum hunc eſſe video animantium omnium,
Cui ſeu boni quid accidat, ſeu quid mali,
Indigno, & immerenti ſemper accidit.
Nam equo, si praestat ceteris, plus ceteris
Curando diligentiae impendunt; canis
Si forma egregia sis, aut genere, habeberis
Ignavo pluris; gallum gallinaceum
Generoſiorem alunt ſeorſum, degener
Et quem ſe quiſque meliorem videt, timet.
At homo quamvis frugi, generoſus, strenuus,

Quid

Quid ex ſua virtute lucrifacit? Nihil,
Vt hiſce ſaecli moribus: etenim ſibi
Primum Adſentator eſſe dicit optime
Nunc omnium, poſt Sycophanta, tertius
Cacoethes. An non aſinum naſci ſatius eſt,
Iſtis bene eſſe quam videre peſtibus?

VIIII.

HIPPONACTIS TVMVLVS.

EX THEOCRITO.

CLaudit poetam marmor hoc Hipponacta.
Si nequam es, admovere te ad buſtum noli;
Quod ſi bonus, prognatus et bonis contra es,
Age, inſideto, et, ſi lubet, vel indormi.

X.

SAPPHVS.

ILla ego ſum Sappho, cui tantum femina cedit
Cantando, quantum vincis, Homere, viros.

IN-

x I.

INCERTI.

APVD LVP. EPITAPH. SEVER. MART.

PArthenis hic lethi ſecura, ſenjque quieſcit.

x I I.

INCERTI.

EXſtruxit monumentum hoc Aſtae Daphnis amoris,
Vivam ardens, cupido pectore ademptam inhians.

x I I I.

INCERTI.

APVD MVRATOR. THES. VET. INSCR.

POrtare ciſtas ſueta Virgo myſticas
Intaminatae, quam colit Nilus, Deae,
Eadem camilla Liberi, meſſes quater
Denas Alexandria perfuncta, hic jacet.

FINIS.

Cunichius Raymundus. *pag.*54.
De Deo Felix. *pag.*15.
Fortius Christophorus. *pag.*22.
Guidius Dominicus. *pag.*55.
Lanzius Aloisius. *pag.*54.
Marinus Cajetanus. *pag.*54.
Martorellus Iacobus. *pag.*26.
Panſinius Leonardus. *pag.*21. & 27.
Raffaeus Stephanus. *pag.*54.

De ceteris, quos omittimus, conſule poematum lemmata: ubicumque enim eadem, quae in verſibus, cognomina occurrent, ea ſcito ad unius ejusdemque perſonam eſſe referenda.

POETARVM SAEC. XVI.

FRANCISCI PVCCI — AND. NAVGERI

GABRIELIS ALTILI — PETRI VICTORI

A. IANI PARRHASI — HON. FASCITELLI

CARMINVM INEDITORVM FASCICVLVS.

QVAE, ET QVIBVS EX LIBRIS DESCRIPTA.

FRANCISCI PVCCI *Carmina ex codice Neapolitano S. Ioh. ad Carbonariam, quo in cod. multo bujus plura carmina continentur ; ſed magnam partem molliculа, ac parum pudica.*

GABR. ALTILI, & ANDR. NAVGERI *ex codice Biblioth. Vaticanae* P. Mellini : *hoc enim ſibi liber nomen praeſcribit.*

IANI PARR., *et* HONOR. FASCITELLI *ex cod. Nicolai Rossii Florentini, haud ita pridem in Vrbe, ubi domicilium ab adolescentulo habuerat, vita functi. Narrabat autem mihi Rossius, Romam ex Brutiis allatum librum fuisse, atque adeo, ut certis indiciis compererat, ad Sert. Quadrimani Bibliothecam olim pertinuisse.*

PETRI VICTORI *ex autographo apud Virum ornatissimum Philippum Stampam, cujus hominis humanissimos mores, prudentiam, probitatem nulla umquam mihi ex animo delebit oblivio.*

HONOR. *denique* FASCITELLI *cetera quidem ex cod., quem diximus, Nicolai Rossii, at duo poſtrema ex libello a Valgriſio A.* MDXLVIII. *Florentiae edito, cui titulus* Carmina quinque Illuſtr. Poetar., *in cujus adversa pagina ab erudito neſcio quo deſcripta ſunt. Pertinet modo libellus ad virum illuſtri nobilitate, et ingenio, Eustachium de Aſflicto Dominicanae Familiae Theologum, Regiaeque Bibliothecae Praefectum, qui mihi eorum deſcribendorum copiam fecit.*

ANTONIO IOS. FIL. LAVIANO

ADOLESCENTI MVLTIS, ET PRAECLARIS

ANIMI

DOTIBVS ORNATO, APOSTOLICO

PROTONOTARIO.

FRANCISCVS XAV. GVALTERIVS.

HAbes, ANTONI, adoleſcentium optime, quae a me tantopere expetiisti, Poetarum Saeculi XVI. Carmina nondum a quoquam, quod scire adhuc potui, in lucem edita; parvum in speciem munus, sed concinnum tamen, et elegans. Ac tu, ubi illa perlegeris, et multum, scio, me de ipsorum, quam dixi, elegantia, et concinnitate amabis, et quam hujus procrastinandae editionis caussam habuerim,

statim

statim intelliges. Quum enim pauciora illa essent, quam ut prodire sola foras possent, aliqua videlicet fuit comitatus, seu societatis opportunitas exspectanda. Accidit autem his ipsis diebus percommode, ut a viro utriusque nostrum amantissimo Vito M. Iuvenatio facultas mihi, quam frustra jamdiu optaveram, daretur ejus Poematum edendorum; quae quidem Poemata quum ne ipſa quidem magno numero essent, plura enim ut ad editionem concederet, impetrare non potui, enimvero praeclaram mihi nactus esse occasionem visus sum gratificandi tibi, si publicanda ea ad horum calcem curarem. Quid quaeris? Rem cum Iuvenatio communico; annuit ille, atque, ut fecisse me jam vides, ejus Carminum libello hunc Fasciculum, sive Eclogarium adtexui. Hic nolo te, ANTONI, *per ambages, ut ille ait, et longa exorſa morari: absolvam rem paucis. Quantum igitur Fratri tuo*

Petro

Digitized by Google

Petro Laviano Marchioni, *quantum etiam tibi debeam*, *nec ego*, *si velim*, *complecti oratione facile possim*, *nec tu*, *quae Familiae vestrae in benefaciendo consuetudo est*, *praedicari a quoquam libenter sinas*. *Quae autem mea erga vos omnes observantia*, *quae voluntas sit*, *quam prolixa*, *quam constans*, *quum multae res ſunt*, *ex quibus intelligere abunde potestis*, *nec quin quotidie in dies magis intelligatis*, *mihi quidem dubium est*; *tum habuisti tu potissimum a me annis abhinc non multis ejus rei publice pignus*, *Petri Victorii* Iter Hannibalis per Etruriam, *quod mea opera typis descriptum in tuo nomine apparuit*; *cui libello hunc alterum nunc adjungas licebit*. *Atque ut more meo tecum*, *hoc est familiariter*, *et ingenue loqui pergam*, *non inficiabor*, *tantulus quum sit*, *potuisse a me majorem*, *auctioremque tibi offerri*; *ſed quominus facerem*, *Platonis illae de Civitate*, *quam*

con-

constituebat, seu potius honesti, et recti leges prohibuerunt; quae quidem leges, etsi plerique Poetarum eas contempserint; nobis tamen, qui et christianos nos, et sacris addictos esse meminimus, multo esse debent, quam ullae ipsorum illecebrae antiquiores. Valeat per nos quaecumque Poesis, immo pereat quantumcumque est Poetarum, si ex ipsorum lectione quidquam detrimenti castis moribus sit metuendum. Accipe igitur, ANTONI *ſuaviſſime, qua solitus es humanitate, hoc a Gualterio tuo novum munuſculum; et quoniam Romae vivere decrevisti, jamque in eo es, ut rempublicam capessas, totum hoc quidem, quod reliquum est temporis, quo in privata adhuc perſona tibi manendum est, Iuris Pontificii, et Theologiae accurata diligensque cognitio sibi vindicet; haec autem mitiora studia ex intervallo regustabis. Vale Neapoli Kal. Febr.* CIↃIↃCCLXXXVI.

POE-

POETARVM SAEC. XVI.

CARMINVM INEDITORVM

FASCICVLVS:

FRANCISCI PVCCI FLORENTINI *

IN CANICVLAE ARDORES.

I.

LEthifer induxit rabidum jam Sirius annum,
Fulsit et in ſummo flammeus orbe canis.
Flava Ceres raptas sibi grata cubilia fruges
Moeret, et admissas in sua dona manus.
Arescunt herbae, tenuantur flumina, pratis
Floreum abest illud, quod fuit ante, decus.
Quantum aestas inimica furit! ſuccumbimus ipsi,
Nec sumus huic homines ferrea corda pares.
Vi-

* Professus est publice eloquentiam Neapoli aetate magni Pontani. Con-

Nam mihi qui toto pallor ſuffunditur ore?
Quae macies nuda detegit ossa cute?
Viribus exhaustum pede vix insistere corpus,
Nec valet ad positas ora movere dapes.
Nutat, ut hinc illinc euris agitata phaselus,
Nunc primum aut surgens ad sua stagna salix.
Vnde rogo, unde tibi tam dira, Canicula, vis est?
Aut ista in nostrum quid furit ira caput?
Prisca ignara diu lenaei saecla fuere,
Quum dabat e mundo pocula fonte latex;
Atque aliquis nuda positus tellure jacebat,
Et mensae a querna glande petebat opes.
Primus ad actaeos produxit vina colonos
Icarus, ogygio vina reperta Deo.

Iussit

Consule P. Iulium Negro S. I. *Histor. Scriptorum Florentinorum*, Auctoresque ab eo indicatos. Sed nos aliorum, ac praesertim nostratium monumenta scrutati, in multo plura Scriptorum loca incidimus, ubi ejus mentionem fieri animadvertimus. Ea lubet hic referre, ſicui forte uſui aliquando sint futura. Itaque legatur Iovianus Pontanus in *Dial. Aegidio*, & in *Antonio*, item *de Sermone lib.* IIII. *cap.* II., & *lib.V. cap.I.*, *Hendecasyllab. lib.* II. *ad Franciscum Puccium*, et *de Fabio Lopicino*. Ian. Parrhasius in *Claudian. de Raptu P.* ad versum: *Delius hunc fracto Cephisus a. I.* Hieron. Carbo *Eleg. ad A. Niphum* apud Borellum in *Vindice*

Iussit et, e pleno sibi quisque assumeret utre,
Nescius, illa suum poſcere dona caput.
Rustica turba ruit dono oblectata recenti,
Totaque ſpumanti proluit ora lacu.
Nec mora: caligant oculi, rubor occupat artus,
Omnis et in vasto corpore vena tumet.
Illi admirari, seque accepisse venenum
Credere, et irata poſcere tela manu.
Icare conclamant, poenas dabis, Icare, et illi
Vndique lymphatum vulgus in ora ruunt.
Quid facitis? Non vos auctor, sed perdidit usus;
Pocula post centum debuit esse satis.
Hic quoque nil debet; vos tantum absistite ferro,
Membraque per terram victa sopore date.

Non

dice Neap. Nobilit. Ianus Anys. *Poemat. lib. V.* P. Victorius *Praefat. ad lib. Ariſtot. de Arte dicendi.* Tristanus Caracciolus *Epist. de Funere R. Ferdinandi I.* Chioccarellus in *Catalogo Antist. Neapolit. de Alexandro Carafa.* Summontius *Hist. Neapol. tom.* IIII. *lib. V. cap.* II., et *tom.* IIII. *lib.* VII. *cap. I.* Toppius *de Origin. Tribunal. part.* II. *lib.* III. *cap. I. num.* XIIII. Mabillon. *Mus. Italic. tom. I. num.* XXIII., et *num.* XXVIIII. Vide etiam quae novissime de eo scripsit vir multiplici eruditione, et acerrimo judicio praeditus, idemque Poeta multo elegantissimus, Laurentius Santenius I. C. in *Praefat. ad Sex. Aurel. Propert. cum Comment. P. Burmanni*, quod opus morte Burmanni interruptum ipſe absolvit.

Non ſecus ac leporem si quando indagine clauſum
Latrantum immiti diſtrahit ore furor,
Sic illi attonitum, nec jam quid vocis habentem
Vulnera post tandem mille dedere neci.
Moera canis comes huic a primis haeſerat annis,
Moera canis fidi gloria ſervitii.
Haec ubi nequidquam rupit latratibus auras,
Quod pote crudelem dentibus ulta necem,
Inferias animam domino poſt omnia miſit,
Non sine se exstinctum paſſa jacere diu.
Vidit, et inſeruit laudatam Iupiter aſtris,
Qua cinctum Orion exerit enſe latus.
Stella micat, veteris quae non oblita doloris,
Nunc quoque cultores perdere quaerit agri.
Iamque ubi eos ſeſe maturae accingere meſſi,
Nudaque per campos corpora ferre videt,
Quanta plagae aetheriae vis ignea contigit afflat,
Et miſeram immiti ſidere findit humum.
Parce canis: vetus eſt injuria, nec ſimul omne
Humanum debes perdere velle genus;

Par-

Parce: tuus ſemper ſic ducat aratra Bootes,
Aeternum et Virgo, ſidus herile, micet.

EIVSDEM

IN PROFESSOREM INDOCTVM.

II.

QVidam me modo viderat jacentem
Ignavum, reſidemque litterator,
Elinguem quoque ſuſpicatus eſſe,
Coepit vellere dormientis aurem.
Primo diſſimulamus, ille pergit,
Vrget, prenſitat, impetit, laceſſit;
Tum me denique bilis excitavit.
Attollo caput, utque trux moloſſus
Totis viribus involo in miſellum.
Dj magni, ut male perdidi! ut cecidi!
Vt certamine doctus eſt ab illo,
Quam conſtet culici pericoloſe
Barri vellere dormientis aurem!

EIVSDEM

IN PAVPEREM AMBITIOSVM.

III.

CErdonum pudor, ima faex popelli,
Naturae invidia, hostis optimorum,
Nostri infamia, dedecusque saecli,
Nuper lumina clauserat parentis
Heres palliolique, loculique,
Et sex, si bene computo, urceorum:
Haec ille omnia quantacumque vendens
Extemplo patrimonium expatravit,
Vt conducere posset et lacernam,
Et tegmen sibi verticis supini.
Hinc pullatus in omnibus plateis
Per spectacula, compita, et coronas
Inflatus, tumidus, superbus, ingens
Omni se populo obtulit videndum.
Quantos tunc, bone Iupiter, cachinnos,

Quantos

Quantos et populi, Patrumque ronchoi
Irus tam pretiosus excitavit!

EIVSDEM

IN PETRVM PVCCIVM.

IIII.

Hic, quem marmor habet, lustris ter quinque peractis
Natali addiderat septima liba foco.
Qui tamen agnatum lacrimas in funere vidit,
Credidit intonsis occubuisse genis.
Te quoque, contingat sic nil tibi triste, Viator;
Ne pigeat, Pucci dicere Petre vale.

EIVSDEM

PARODIA IN MARTIALEM.

V.

TOnsor erat, modo qui lanius. nil mutat Amyntas:
Fecit enim tonsor, quod facit et lanius.

GABRIELIS ALTILI LVCANI.

VI.

TV, qui Romanos annosa palatia colles,
Flavaque vicini Tibridis arva petis,
Hic, ubi discordes posuerunt moenia fratres,
Moenia tot magnis facta superba viris,
Non sine flebilibus referes haec verba querelis:
Aurea Roma olim, ferrea facta, vale.

A. IANI PARRHASI CONSENTINI

AD DIVAM LVCIAM.

VII.

LVcis Diva potens, nostri miserere, juvaque
Lumina scrutandis fessa voluminibus.
Si dabis hoc, versu referam tormenta, gravesque
Carceris aerumnas, tristeque supplicium,
Calcatumque feri imperium furiale Tyranni,
Cunctaque praeceptis posthabita esse Dei;
Evulsos oculos, desectaque colla securi,
Lassatasque manus, armaque carnificum;
Farre etiam pastus domito ferventibus undis
Festo rite die sobrius amne bibam.

Digitized by Google

ANDREAE NAVGERI VENETI.

VIII.

VAtum pessimus omnium Secundus;
Felicissima Sirmio insularum est;
Hanc laudat numeris tamen trecentis
Vatum pessimus omnium Secundus;
Iam miserrima Sirmio insularum est.

EIVSDEM.

VIIII. *

DVm tibi dona parat, dum flavo e vertice vellit
Nos domina, atque ipsum hoc daedala texit opus,
Flevit, et o, dixit, felices ite capilli,
Cur mihi nunc crines non licet esse meos?

EIVS-

* De hoc, et sequenti Naugerii epigrammate nemo quidem, aut valde me opinio fallit, dubitabit, quin ita ut Naugerii nomine in Cod. Vaticano inſcribuntur, ad ipsum ſint Naugerium Auctorem referenda. ſtilus enim, et forma dicendi gemina omnino, maximeque ſimilis videtur esse

EIUSDEM.

X.

Non ego sum pugnae adſuetus, nec fortibus armis,
Et tamen audaci pectore bella geram;
Confertas turbabo acies, denſosque per hoſtes
Deferar, et praeceps in mea damna ruam:
Vivere quippe aliis, Venetis ea denique vere
Vita eſt, pro patria decubuiſſe ſua.

esse tam in his, quam in aliis, quae jamdiu edita circumferuntur, hujus Poetae carminibus. At diſpar plane primi epigrammatis ratio est, crassum ac pingue neſcio quid reſonantis, ut Statii potius, aut Martialis, quam vetustioris cujusquam officinam redoleat. Itaque, ſi ſenſum hic interponere meum licet, putaverim, ipsum ex iis fuisse, quae Naugerius aetate maturiore, quum se ad Tibulli, et hujus aequalium imitationem totum contuliſſet, *tardipedi*, ut ait Catullus, *Deo dedit infelicibus uſtulanda lignis*; ipsum autem, de quo loquimur, epigramma, quum forte in alienas manus jam antea pervenisset, commune incendium effugere potuisse.

PETRI VICTORI

FLORENTINI

AD PETRVM CARNESECCAM.

x I.

IVcundiſſime amice Carneſecca;
Multis Flaminii tui libellum
De cauſſis lepidum, ac perelegantem;
Qui conſtat numeris Catullianis,
Amavi, et merito in dies, dieſque
Semper plus amo, nec capit meum cor
Vlla umquam ſatias, quieſque habendi
Illum ipſum in manibus, teram ut, fricemque
Volens aureolum ſacrum libellum.
In queis non minimum, tuum quod illic
Nomen invenio frequens, amatum
Meo a me ingenuo, pioque amore
Supra cetera cuncta, quae umquam amavi.

Sed

Sed quis tam lepidum bonum sodalem
Non totis amet intimis medullis?
Ergo tu salibus tuis venustis
Non solum facis, undique ipſe ameris;
Verum ut qui ex animo te amant, amarunt;
Magis nomine eo, magisque amentur.

HO-

Digitized by Google

HONORATI FASCITELLI

ISERNIENSIS.*

XII.

MArtinalia sunt. Io Sodales!
Sunt Vinalia, sunt soluta curis
Omnium omnia corda. io frequentes
Huc ad pocula plena convenite.
Festo ludere fas die, et madere.
Hanc tibi citharam, puer, canoram;
Istum tu mihi massicum triennem

Me-

* Quum non minus eleganter, quam vere ab optimo Poeta dictum sit: *Pauperis est numerare pecus*, nemo, opinor, vitio nobis vertet, si quum in tanta rerum, quae ad Faſcitelli vitam, et ingenium pertinent, ignoratione verſemur, in his conquirendis, intentoque velut digito indicandis plus aequo diligentiores videamur esse, nec tam, ut ita dicam, agere, quam ſatagere. Igitur ad testimonia Scriptorum de Faſcitello, quae Cl. Vulpius, quaeque post eum longe majore numero ab ſe collecta in medium protulit novissimus Operum Faſcitellianorum Editor Neapolitanus, adde nunc P. Leonis Caſellae epigramma ad ipſum Fascitellum, quod epigramma habetur pag. 103. edit. Lugd. 1606. Opusculorum ejusdem Casellae; Achillis Statii locum ad verſum Catulli de Quintia et Lesbia: *Nulla in tam magno est corpore mica ſalis*; Sertorii Quadrimani epiſtolam 2. libri 2. Petri item Bembi epistolam Garsilasso Hispano, quae quidem poſterior eo nobis pluris facienda est, quod praeter

Meracum jubeo. Mane, quid istuc?
Vin' fors indere guttulam Falerni?
O factum bene! sic bibisse oportet:
Sic si quis sapit: hostium ministri
Diluant calidave, frigidave.
Misce mî, puer, alterum; sed heus tu
Funde largius, et scyphum corona.
O habet bene! sic mihi propina
De nota meliore et hoc, et illud:
Nam morbo veteri novo medemur,
Dum novum vetus. Huc ades, resiste,

Quo

praeter plenum, quod continet, de Honorati moribus, ingenio, et doctrina testimonium, alia nonnulla interserit ad ejus domum, Fratresque pertinentia, quae Scriptores alios, qui de eo adhuc commemorarunt, latuerunt. Denique, ut hoc quoque non praetermittam, quod Sebastianus Gryphius in praef. ad Lactantii editionem Lugdunenſem ann. 1541. ſcripſit: *Tanta annis abhinc quatuor Honoratus Faſcitellus Venetus*, etc. idque Vulpius, et eum ſequutus Editor Neapolitanus ita acceperunt, quasi lapsus ſit in eo Gryphius, quod Faſcitelli patriam ignorarit, ac Venetum dixerit quem Iſernienſem dicere debuit, id secus meo quidem iudicio est, omninoque non Gryphii ipsius, sed operarum typographicarum erratum in verbis illis agnoſcendum est, ac pro *Venetus*, quod legitur, *Venetiis* certo legi debet: ut praeter editionis tempus, locum etiam indicatum ab hoc Scriptore fuisse intelligamus, ubi Lactantius Fascitelli opera restitutus in lucem prodierit.

Quo te proripis? huc ades: palato
Adhuc aridiusculo sitimus,
Et tussi quatimur nimis molesta;
Proh Dj difficilem excreationem!
Amabo, ingere tertium. Sat ohe,
Iam sat est: meminisse namque debes;
*Andrealia * non abesse longe,*
Andrealia magna, quo die nil
Vmquam faustius, auspicatiusque
*Illuxit Latioque **, Hetruriaeque:*
Tunc omnes tibi seriae relendae,
Et totus mihi Iulius bibendus.

EIVS-

* *Iulius III. Beati Andreae diem celebrat.* Ita ad marginem cod. ms. Iam vero quod verſu ultimo Faſcitellus ſcribit: *Et totus mihi Iulius bibendus*, is mos cujusmodi fuerit, quidque sibi apud antiquos voluerit, explicabunt eruditorum Virorum ad Martialis lib.I. epigr. 72., et lib.VIII. epigr. 51. Scholia. Sic etiam quod ſupra noſter dixit: *Nam morbo veteri novo medemur, &c.* id quam venuſte, quamque appoſite inductum sit, docebit Varro lib. V. de L. L., et Festus in v. *Meditrinalia*.

** In ms. *Latio*, quod siquis magis probaverit, is retenta hac lectione, abjiciat per nos licebit noſtram emendationem.

EIVSDEM.

XIII.

QVod Dii fortunent Patribus, Populoque Quirini,
Italia in Cattos jam movet arma feros.
Ibit Alexander, primoque in flore juventae
Mittet sub latium barbara colla jugum.
Perſolvet meritas ſcelerum Germania poenas;
Nec feret iratos impia turba Deos.
O faustum tibi, Paulle, diem, quum Roma nepotem
Invectum niveis laeta videbit equis!

EIVSDEM.

XIIII.

MObilis auratos diffuderat aura capillos, *
Innumeris gaudens implicuisse modis.
Et vaga ſcintillis ardebant lumina crebris,
Nunc nimis heu misero lumina parca mihi:

Is

* Expreſſum eſt hoc epigramma ex italico Franciſci Petrarchae part. 1. n. 70.

Is color in vultu, qui spem promitteret aegrō;
Aut erat, aut certe visus inesse mihi est.
Nil mortale sonans accentus vocis; at ipse
Incessus veram prodidit esse Deam.
Quid mirum, fuerant cui mollia semper amori
Pectora, si subitis ignibus esca fui?

EIVSDEM.

XV.

FLores beati, dulce telluris decus, *
Quibus puella molle reclinat latus,
Puella cordis lene tormentum mei;
Vallis canoros illius captans sonos,
Servas tenelli quae pedis vestigia;
Arbusta, quorum dum coquit Titan sata
Excludit ictus spissa fervidos coma;
Ligustra mista suaveolenti amaraco;

Co-

* Hoc item epigrammate interpretatus est Faſcitellus italicum alterum ejusdem Petrarchae, part, 1. num, 130.

Comata Sylva, Sol vagus quam verberans
Penetrare telis irritus tentat suis;
Suavis ora; rivule vadis vitreis
Vultum nitentem, et astra tingens lucida,
Claraque eorum luce purius micans,
Vt ipse vestris aemulus tangor bonis!
Iam nulla vobis saxa, nulla erunt juga;
Ardere quae non ignibus discant meis.

EIVSDEM

AD CVCVLLVM.

XVI.

HEus tandem niger, ac miser Cuculle;
Heus tandem te hilaris, libensque possum
Pendentem patula videre ficu,
Vmbramque ancipitem modo huc, modo illuc
Motantem incutere horridum timorem,
Terroremque avibusque, furibusque,
Sive a frigore surculum tegendo.

Vnde autem tibi tam fera, atque acerba
Sors iſta ingruit, o miſer Cuculle,
Tam nocens tibi, tamque laeta noſtro
Patrono, atque Patri eruditiorum?
Quaeris? munere Montium ſacrorum, (*)
Montium, quibus annuunt libenter
Septem Romulei, ſacrique Colles;
Nec ſolum Pater annuit Quirinus,
Coetus ſed colit omnium piorum,
Laetaturque pedes deoſculari.

EIVS-

(*) Reſpicit ad inſignia Iulii III. P. M.; cui jocoſa, et lepida hac ad Cucullum apoſtrophe videtur blandiri voluisse, gratiasque agere, quod ſe ex Monacho Episcopum creaverit. Apparet certe, conscriptum a Fascitellio carmen fuisse in eum finem, ut ad ipsius Iulii, aut certe eius aulicorum manus perveniret. Qua de re admonitus ipse ab homine amicissimo, eodemque viro optimo, doctissimoque, Francisco Danielio, nolui facere, quin de eadem lectores admonerem: ne forte epigramma ludicrum, uniusque grati animi testificandi caussa compositum, in serium religiosi indumenti contemptum interpretentur.

EIVSDEM.

AD IVLIVM III. SVMMVM PONTIFICEM.

LIBELLVS SVPPLEX.

XVII.

*Pater Beate, plurimis * incommodis*
Affectus oro, quae tua est clementia,
Ne me calabra deseras in Insula.
Nomen modo quis insulae non horreat?
Vt ipsa nil sit interim Calabria,
Hoc est olivum pingue flammis additum.
Meis, nec oro, rebus addas quidpiam:
Satis superque me benignitas tua
Ornavit, auxit: amplius nihil peto.
Gravissimis tantummodo caussis rogo.
Ab ultimis Calabriae magalibus
Vt in minus remota transferar sola.
Per indolem surgentis Innocentii

* In ms. *pluribus*, vitio, ut mihi persuadeo, descriptoris.

Digitized by Google

Obtestor, ut rem parvulam ne deneges.
Hoc dura cogit obsecrem necessitas,
Necessitas, quae Diis et ipsis imperat.
Narrare longum, putidumque singula.
Sic quae tibi, tuoque clavo credita
Portum tenet, portusque fructus percipit,
Petri beata cymba numquam fluctuet;
Gallos feroces italis a finibus
Nivalium trans Alpium sistas juga;
Turcas fugaces ultimum trans Caucasum
Fractos sacra coerceas sub cuspide;
Te patre, te rectore, te auspice, et duce
Longa fruatur pace tellus Romula.

F I N I S.

Digitized by Google

CORRIGENDA.

pag. 18. v. 4. *js*	*iis*
v. 11. *jdem*	*iidem*
pag. 54. v. 5. *Vsq. adeo in*	*Vsque adeo te in*
pag. 72. v. 16. *Florentiae*	*Venetiis*

Digitized by Google

NEAPOLI CIↃIↃCCLXXXVI.

EX TYPOGRAPHIA SIMONIANA.

MAG 2023128

Digitized by Google

Digitized by Google